

Andrea Botiber preposito, Nicolao Sledorn decano sancti Sixti, canonicis Merseburgensium ecclesiarum, et Nicolao Czimmermann, domini episcopi Merseburgensis cappellano protestibus ꝛc.

68.

5 *Der Prokurator des Conrad Dune erhebt vor dem Bischof Johannes von Merseburg die Anklage gegen den Magister Johannes Meurer.* [1448.]

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176, fol. 306^a.

Coram vobis reverendo in Christo patre et domino, domino Iohanne, dei gracia episcopo Merseburgensi, iudice et conservatore iurium, privilegiorum, rerum atque
 10 bonorum venerabilium virorum dominorum magistrorum, doctorum et scolarium alme universitatis studii Lipczensis, a sede apostolica specialiter deputato, procurator nomine procuratorio honorabilis viri Conradi Dune, clerici Magdeburgensis diocesis ac in artibus baccalaureus, reconveniendo quendam magistrum Iohannem Murer contra ipsum ac
 15 quemcunque alium pro eo in iudicio legitime intervenientem, proponit et dicit gravi cum querela: Quia cum nuper anno domini M cccc° XLV certo die signanter xx. mensis septembris, in opido Lipczk Merseburgensis diocesis in domo habitacionis dicti magistri Iohannis Murer adversarii, iidem contendentes una cum quampluribus aliis honestis magistris et baccalauriis suis loco et tempore oportunis specificandis causa collacionis serotine et conversationis mutue habentur atque faciendis convenissent et in ludo
 20 alearum et aliis honestis causa deductionis conversati fuissent, tandem prefatus Iohannes Meurer reus contra dictum agentem precipue et pre aliis iracundia ymmo furore accensus eidem agenti licet iniuncto plures minas intulit, et arreptis per eum nunc gladio, nunc cultello, nunc balista aliis quam pluribus armis offensibilibus ipsum agentem percutere et ledere velle pluries et iteratum vicibus comminatus fuit et comminabatur ac eciam quan-
 25 tum in eo fuit percussisset atque lesisset, cumque ipse magister Io. Murer propter prohibitionem ipsius agentis aliorumque tunc ibidem presencium atque circumstancium huiusmodi minas ad effectum producere nequiret, tandem in contumelias et convicia atque obprobria irrueret dictum agentem verbis multiplicibus contumeliosis, iniuriosis et obprobriosis affecit, vocans ipsum ribaldum perversum atque nequam pessimum preter
 30 id et absque eo, quod ipse dominus Conradus agens ipsum magistrum Iohannem umquam et signanter eo tempore verbo aut facto offendisset, quinymmo ad iracundiam et furorem ymmo vesaniam eius demulcendam semper verbis pacificis et suavibus usus fuit et utebatur, quamquam per hoc minime proficitur. Cumque ex post idem Conradus agens propter huiusmodi minas et contumelias, iniurias et obprobria sibi per dictum
 35 magistrum Iohannem ut premittitur illatas et illata, domum ipsius magistri Iohannis exiisset et in platea et via publica cum quodam Nicolao Grunenberg baccalaureo in artibus staret benivole et amicabiliter conversando et colloquendo, prefatus magister Iohannes reus premissis iniuriis non contentus, animo et intencione dicto agenti iterum